

8. *Quare ante & post cibum sit orandum?*

1. Ut Dei datoris recordemur. 2. Ut agnoscamus, verum esse illud: Non solo pane vivit homo, sed omni verbo, quod egreditur per os Dei, *Matth. 4.* 3. Ne reputetur noxæ, si in usu ciborum abusus commissus est, *Luc. 16. Esai. 12. Job. 1.* 4. Ut mentem satiemus cibo, qui non perit, *Job. 6. Luc. 14.* 5. Ut nobis profit, *Deut. 8. Esai. 5.*

9. *An Oratio Dominica rectè quotidie recitetur?*

Affirm. Quia 1. ab ipso Christo instituta, præscripta, & Pharisæorum ac Ethaicorum battologiæ opposita, *Matth. 6, 7.* 2. Christus discipulis suis eam recommendat, *Luc. 11, 2.* 3. Etiam si non semper formulæ ejusdem nos alligamus, æquum tamen est, ut liberos eam doceamus, & inter alias preces eam recitemus.

10. *Cur Christi petitionem de Pane quotidiano mediam constituerit?*

Quia petitiones hujus preces in duas partes sunt divisæ, quarum prima continet petitiones de bono positivo, quod vel spirituale, tribus primis petitionibus, vel corporale, quarta comprehensum. Secunda pars agit de malo privativo, quod vel culpæ est, idq; vel commissum, quod remitti petimus, & quintæ; vel committendum, quod averti oramus, & sextæ petitioni includitur, vel pœnæ, quod in liberatione ab omni malo, septima petitione à nobis auferri petimus.

11. *An troporum & figurarum Rhetoricarum coacervatio in preces approbanda?*

Dist. Inter legitimum usum, ut *Psal. 47. 48. 68. 107. 147. 150.* qui concessus: & immoderatum abusum, qui non approbandus. Quia 1. in Orationibus Patriarcharum, Prophetarum, Christi & Apostolorum, nulla reperitur talis troporum coacervatio. 2. Nec à Lutherò, Musculo, Avenario, aliisque Theologis celebrioribus, adhibentur.

IN LOCO

DE ANGELIS IN GENERE.

THEOREMATA.

1. **D**E Angelis in genere nominalia cum realibus consideranda veniunt.
2. Inter Nominalia primum est Etymologia vocis Græca, quæ significat nuncium sive legatum, & derivatur ἀπὸ τοῦ ἀγγέλλειν à nunciando,

N a

ciando,